

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertatio moralis de religione hominis secundum legem
naturae**

**Wernher, Johann Balthasar von
Götz, Johann Heinrich**

Lipsiae, 1698

§. XIIIX

urn:nbn:de:bsz:31-102660

evidenter ab omnibus gentibus cognoscuntur, attendendum sit; inde non male fecit *Pufendorfius*, quod Religionis Nat. effectum intra hujus vitae sphaeram conclusit; & sic videntur quodammodo conciliari posse, quæ ipse habet d. *Off. Hom. & Civ. L. I. C. IV. §. præcipue* §. cum iis, quæ hæc de re passim Theologi.

§. XIX.

Necque etiam dici potest, quicquam Religioni Naturali præcipi, quod Theologiae revelatae repugnet. Nec enim est nisi una Veritas; Ultraque Theologia à Veritatis fonte DEO, qui ob summam sapientiam & veritatem de eodem objecto contraria pronunciare non potest. Quamvis illud fatendum sit, hominem, utut Religioni Naturali imbutum, tamen objecta Theologiae revelatae propria non asseqvi, quæ tamen propterea haud negat, sed eorum potius veritatem doceri plenius vehementer cupit. Vid. *Grauer. d. Unic. Verit. & Mus. Introd. P. II. c. II. §. 6. & cap. V. §. 12. B. Baj. Theol. Posit. Proleg. cap. I. §. 9. lit. c.*

§. XIX.

Religionis autem magna vis in mentes humanas est. Hoc vinculo et colligantur, huic tanquam basi & firmissimo fundamento innititur socialitatis salus, *Omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa sphenentibus*, Livii, lacteis scriptoris verba sunt; s. 51. 7. *Religio & timor DEI solus est*, qui custodit hominum inter se societatem, inquit *Laetant. de Ira lib. I. c. 12.* Et *Plin. L. 14. Histor. Nat. cap. 19. 1.* Religionem vitam consolare ait. *Cic. in Verr. cap. 59. 2.* Omnes, inquit, religione moventur, & Deos Patrios, quos à Majoribus accepserunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur. Cumulari hinc multa Sapientum dicta possent; sed quid iis opus? Si dubitas, fidem habere verbis; Percurre quoſo hoc universum, aut, si mavis, historiarum annales excute; an unquam aut usquam stetit Respubl. sine aliquā Religionis specie? Sed enim, ut eō clariū appareat, quām insignia ex religione commoda ad societatem humanam perveniant, age, consideremus cum *Pufendorfio d. Off. Hom. & C. L. i. c. IV. §. ult.* hominem quoad duplē statum, naturalem & civilem. In naturali statu dicuntur vivere, qui ad se invicem spectati nec imperantes, nec parentes sunt, neque proinde ipsi in alicujus imperium